

Prage anno domini M^oCCC^oXLVIII^o, XV kalend. aprilis, regnorum nostrorum anno secundo.

Nr. 5, 1348 März 14.

C z i s c a.

Karolus etc. illustri Iohanni duci Karinthiae comes (!) Tyrolis et Goricie fratri nostro carissimo gratiam etc. Cum ut nuper audivimus qu[edam bona] et municio cum una aratura et parte ville in Czysca aut media villa in Sdeslaw necnon media villa in N per mortem olim Sdeslay et Dubrohostonis fratrum, qui non relictis heredibus decesserunt, ad nos sunt legitime devolut[a et] nobis in pleno terre iudicio adiudicata dinoscuntur, dum officiales ad hoc deputati iudicio presidentes iusticie que tamen eo non obstante quidam nomine Pures occupavit hactenus et adhuc detinet occupata, eapropter ad [tuam] instantiam frater karissime votis tuis in hac parte ut congruit favorabiliter inclinati tibi in predictis bonis omnibus et singulis premittitur libertatibus pertinentiis utilitatibus fructibus et in ceteris omnibus pertinentiis ad eadem illud ius, quod nostre celsitudini [de . . .] et predictae adiudicationis virtute seu quavis alia iusta ratione iure competit, presentibus de certa nostra scientia liberaliter [tradimus] concessa tibi libera potestate supradicta bona, prout nobis iure competunt et ad nos sunt iuste devoluta, vendendi obligandi p[er]mutandi alienandi et in usus tuos beneplacitos convertendi presencium etc. Datum Prage anno domini M^oCCC^oXLVIII^o, II ydus marcii.

Nr. 6, 1348 März 29.

Civium Glacoviensium.

Karolus etc. fidelibus nostris dilectis iudici iuratis civitatis Glacovie gratiam etc. Quod cum recolende memorie illustris Ioh[annes quondam Boemie] rex genitor noster carissimus quibusdam civibus proscriptis de Glacovia census eiusdem civitatis vestre per quatuor annorum spa[cium sibi] percipiendum, prout in literis eiusdem genitoris plenius continetur, duxerit deputandum, quibus census unius anni extitit pers[olutus] predictorum civium proscriptorum residuam partem census trium annorum illustri Iohanni duci Karinthie comes (!) Tyrolis et Goricie fratri nostro karissimo duximus deputandam, qui siquidem frater noster easdem census alterius fidelibus nostris Bohuslao de Jenewicz et [Nycol]ao Perwin suis servitoribus per eos percipiendos rationabiliter deputavit.